



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Vitæ Sanctorum Sacris per singulos anni dies
Meditationibvs illustratæ**

Paderbornæ, 1697

S. Bernardinus Senensis. 20. Maii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62968](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62968)

S. BERNARDINUS

Senensis.

20. Maii.

In omnibus te ipsum prabe exemplum bonorum operum in doctrina, in integritate, in gravitate.

ad Tit. 2.

BERNARDINO Puero aras extruere, quæ ad populum dici pro concione audierat, ad pueros dicere, ludus erat, qualem nunc serium putas fuisse? Verecundia tantâ fuit, ut, cum inimicæ castis auribus voces baccharentur, ad quamcunq; coronam accederet, illud statim audiretur: *Missa isthac nunc facite: siquidem BERNARDINUS adest.* Tantum apud viros potest puer verecundus! Certè puer ejusmodi verba pretextata in viro alapa castigavit, docuitq; frontem effrontem vel invitam erubescere: in alium ejusdè culpæ reum totam puerorū globum coëgit, qui lapidibus scelus urbe prosciberent. Fœminas verò ex animo omnes præter Mariam deleverat. Hanc unam ille unicè amare, ad

X 2

hujus.

hujus effigiem pro porta urbis vigilantem
 quotidie in genua accedere; irridente ne-
 quicquam proterviore pueritiâ, cum virgo
 arrideret. Jam ubi inter discipulos Magni
 Francisci annumeratus est, ea fuit dicentis
 pro virtutibus contra vitia libertas, is ardor,
 ut ad eum aleas flammis sustulandas omnis
 urbs comportaret; adeo ut illi, qui his con-
 ficiendis vitam sustentârat, ultima paupertas
 immineret, nisi eidem autor Bernardinus
 fuisset, nomen Iesu deinceps tabellis inscul-
 pendi, quo factum brevi est, ut ditesceret e-
 tiam. Ipse divus, cum de nomine Iesu sæpe
 sæpius diceret, supra caput suum id ipsum
 quandoque conspicuum habuit Sole splen-
 didius. Superi! quis unquam clarior ex-
 titit concionator! *Ex Surio*

MEDITATIO

In vitam S. Bernardini.

1. **A** B infantia tam verecundus fuit, ut si quan-
 do verbum minus castum cuiquam tuorum
 sociorum excidisset, statim erubesceret. Solo suo con-
 spectu liberioris vitæ hominibus pudorem incutebat,
 eosdemque modestè monere solitus erat, ne talia dice-
 rent. An idem facis? cum quis in congressibus coram
 te obscena verba dicit, fidenter eum argue, si per
 autho.

authoritatem potes: fin minus, erubescere, tace, ex
 silentio tuo improbus cognoscet peccatum suum.

2. Ibat quotidie in adiculam B. Virginis; tu, quo
 cultu Mariam veneraris? promissisti, te nihil factu-
 rum esse contra ejus honorem, fra promissis tuis.
 Ad hæc quotidie solve Mariæ, quod ultro Mariæ de-
 bere voluisti, hoc est, nixus genibus ante ejus ima-
 ginem absolue diligenter & constanter certum pre-
 cationum pensum, quod tibi ipse in honorem ejus
 imposuisti. Memento Jesum nihil Mariæ, & Mariam
 nihil servis suis, denegare.

3. Tanta pietate Sacram Jesu nomen colebat, ut
 illud sæpius inter concionandum laudaret, ostende-
 ret populo, & ferè semper cordi suo admotum ge-
 staret. In tentationibus invoca potentissimum Jesu
 Nomen. Utere hoc nomine tanquam clypeo, &
 tanquam gladio ad resistendum. Quàm suave est
 nomen Jesu! Quàm potens ad pellendum dolorem
 ac mœrorem? *Tristatur aliquis? veniat in cor ejus*
Jesus. Bern.

S. HOSPITIUS Conf.

21. Maii.

*Nolite judicare ut non judicemini,
 in quo enim judicio judicaveritis,
 judicabimini. Matt. 7.*

HOSPITIUM qui vidisset, omnibus eod-
 pertuam